

178g





234

1928 K 944

8.9

DE
DICENDI GENERE VERE POPVLARI QVO
ORATOREM CUI SIMVL DOCENDI CONSILIVM SIT OPORTEAT VTI
COMMENTATIO PRIMA

QVAM
PRAESIDE
IOANNE CHRISTIANO
HENRICI

PHILOS. DOCT. LIB. ART. M. ATQVE ELOQVENTIAE P. P. O.

COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO

A. D. V. SEPTBR. CIOCCCLXXXVIII.

H. L. Q. CC.

DEFENDET

AUCTOR

AVGVSTVS BASILIVS MANITIVS

MERSEBVRGENSIS

PHILOS. DOCT. ET LL. AA. M.

WITTENBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

1798



AD
DIE SCI GENEVIENSIS ACADEMIAE
CANTONUM CIVITATIS BOCCARDI
LIVM DIE OCTAVAT VII
COMMENTARIUS
DE
SINGULA

IOHANNES CHRISTIANUS
HEINRICI
DE
SINGULA

De singula
partibus
quibus
constat
universitas
et quibus
modis
inter
se
conveniunt
et
quibus
modis
inter
se
conveniunt
et
quibus
modis
inter
se
conveniunt



§. I.

Hanc disputationem speciminis philosophici loco editurus, haud vereor, ne, tamquam a philosophica disciplina, eo sensu dicta, quo plerumque in litterarum Vniuersitatibus appellatur, atque artes simul bonas, ac liberales complectitur, aliena, atque theologiae potius propria, reiciatur. Quamquam enim infortia iri nequit, quod probandi causa afferri potest, utilitatis, si qua sit, quam possit haec disputatio praebere, maximam partem redundare ad sacros, qui dicuntur, oratores, quos vulgo nostrates concionatores appellant, qui scilicet sint ii, quibus cum docendi negotio coniungenda sit oratoria ars, et quibus fere solis hodie ad populum verba sint facienda, recteque hanc materiam tractari in homileticis institutionibus, quae iure suo in partibus theologiae disciplinae habeantur: homileticam tamen sponte apparet non nisi ob materiam sacro oratori tractandam, quae scilicet e religione Christiana petitur, ad theologiam referri, ceterum rhetorices, quae est in philosophicis disciplinis, partem esse; imo omnem disciplinam homileticam versari in praeceptis rhetoricis ad materiam, quam sibi legat, consilium, quod spectet, auditores, coram quibus eam tractet concinator, applicandis. Vnde etiam rhetores hodierni, ubi de eloquentia in vniuersum agunt, vitia, in quae sui temporis concionatores incidunt, reprehendunt, quae esse debeant et sacrarum orationum virtutes, docent, non nisi mere theologicis praeceptis abstinent.

§. 2. Neque etiam, quod sacri concionatores sint fere soli, qui ad populum verba faciant, cum consilio docendi, inde efficitur, eos semper, et omnino solos esse, aut esse debere. Est enim hic, et illic magistratibus quoque, quamquam rarior, occasio ad populum dicendi; sunt, existuntque passim coetus eruditiss, ineruditissque

mixti, ubi de rebus ad morum doctrinam, aut omnino ad vitam communem pertinentibus orationes habentur; est interdum scholarum magistris ad discipulos, qui quoque ad ineruditos pertinent, continuo sermone loquendum: quibus omnibus dicendi generi populari studendum est.

§. 3. Quibus ponderatis, non dubitavi hanc disputationem speciminis philosophici loco proponere, et ita quidem, ut materiam, quatenus philosophica sit, absoluerem, quatenus theologica, ne attingerem quidem. Omni igitur de textuum, qui dicuntur, delectu, explicatione, et usu, de verbis, ac praeceptis sacri codicis in concionibus adhibendis, et id genus aliis rebus quaestione, quippe mere theologica, omissa, praecepta mere rhetorica, quae ex ipsa popularis dicendi generis, oratoris talis, quem, et consilii, quod ponimus, natura prodibunt, exponam.

§. 4. Neque etiam instituti mei ea est ratio, ut historice, quale variis temporibus fuerit hoc dicendi genus populare, doceam, aut rhetorum imprimis hodiernorum, qui suo quisque loco multi sunt in hac materia tractanda, praecepta recenseam, atque aut probem, confirmemque, aut oppugnem, quod fortasse essent, qui mihi quidem immodestiae darent, nec per librorum, eruditionisque apparatus, quo quam exiguò utar, ipse sentio, satis bene, et copiose fieri posset: sed, nulla auctorum facta mentione, quae ex egregiorum istorum virorum lectione mihi arrisissent, meaque cum meditatione ita coisissent, ut saltem ob formam, quam haberent impressam, mea posset dici, proponenda esse censui.

§. 5. In ea igitur materia tractanda omnibus praeceptis, et explicationibus, quaesunt rhetoricae artis uniuersae, missis, statim putavi ad notiones, quae in argumento continentur, enucleandas esse veniendum, quo negotio priori libelli parte absoluto, ex illis notionibus, quale sit illud genus dicendi populare, quo oratorem, cui simul sit docendi consilium, oporteat uti, posteriori facilius effici poterit.

PARS PRIOR
DE NOTIONIBVS, QVAE SVNT IN ARGVMENTO.

SECTIO I.

De notione eius, quod populare est.

§. 6.

Vocabulum *populare*, quamquam Ciceroni, aliisque bonis antiquitatis scriptoribus significat: quidquid ad populum pertinet, (populi qui est ciuis,) et a populo oritur, aliisque tribuitur, vt honor popularis, quem populus tribuit, aura popularis, fauor popularis h. e. populi opiniones et desideria, quae quis sequitur, gratia, qua quis apud populum valet, aut quod populi vsibus inseruit, et populo gratum est, vt lex popularis, homo popularis; tamen etiam occurrit apud Ciceronem de eo dicendi genere, quod populo vsitatum sit. Off. II, 10. *popularibus verbis agere, et vsitatis.* De Leg. I, 6. *populariter loqui necesse erat, et appellare legem, ut vulgus appellat.* Iam vero, quum quae verbis populo vsitatis enunciantur, capiantur a populo, et oratio populi captui accommodata vere possit populi vsibus inseruire; haec duae voces notiones: populi vsibus inseruiens, et populo vsitatum, bene coniungi posse videntur, ita vt nobis in hoc libello significet, quod populi captui vsibusque sit accommodatum, h. e. cuius sensum et vium intelligere, et cuius usum facere populus potest; etsi negari non possit, hac definitione proposita paullo plus, quam inest in verbo, nobis sumi, quum et ea verba ad captum popularem possint pertinere, quae non sint populo vsitata.

§. 7. Quum igitur populare dicendi genus populi captum vsusque spectet; apparet populari oratori constare oportere, quid, et quale sit populus: alias enim periculum erit, ne cum quavis alia hominum classe praeter populum agendum sibi proponat, aut cuiusuis classis magis, quam populi captui, vtilitatiq; studeat.

§. 8. *Populi* vero vox aut vniuersas gentes eadem lingua vten-tes, iisdem sub legibus, eodemque sub imperio coniunctas, aut omnes,

qui vel vnus, vel plurium imperio subsunt, significat: quo priori sensu omnes omnino ciuitatis homines, hominumque classes cum principe, vel summis magistratibus, posteriori omnes praeter principem, vel summum magistratum comprehendit, siue sint magistratus inferiores, siue nobiles, s. milites, artifices, mercatores, rustici: quo sensu dicitur S. P. Q. R. Tum omnes notat, qui non sunt summi magistratus, aut loco eminentiores, quae hodie dicitur tertia hominum classis, *der dritte Stand, le tiers état*, Romanis *plebs* bono sensu, quo apud Sueton. Claud. 25. vocabulum *popularia* de locis in amphitheatro plebi patentibus occurrit: qui significatus, ut duo priores, infimam plebem includit. Recentioribus temporibus linguisque, Gallica, Germanica, aliisque populus interdum infimam plebem, tandem etiam omnes, qui non sint vel conditionis praestantioris, vel docti, designat; qui a populo distinguuntur, fortassis quod qui loco eminent, potentia, ingenio, doctrina pollent, semper sibi subiiciunt eos, qui his commodis egent, et quod, qui vere sint docti, rectius quoque reliquis hominibus sentiant, cogitentque, plus cognoscant, sciantque, necesse est; et quod tandem loco a ceteris distinctos, molestioribusque vitae curis, ac negotiis liberos ingenio etiam, ac scientia excellere, sermone subtiliori, atque accuratiori intelligendo aptos esse oportet. Quo ultimo significato videtur a Cicerone quoque locis laudatis haec vox esse usurpata: est enim utroque loco sermo popularis is, quo vulgus uti solet, doctorum hominum, philosophorumque ἀνευθεταῖα oppositus.

§. 9. Is quoque sensus subest, ubi hodie verbis *populär*, *Popularität* lingua vernacula utimur, eritque omnibus subiectus, quae in hocce libello de populari dicendi genere dicentur. Intelligentur igitur sub voce *populi* h. l. omnes eae civium classes, quae nec ad summos magistratus, neque ad nobiles, neque ad doctos pertinent, quibus igitur deest ista sollertia, ac scientia, omnisque ea ingenii cultura, quae grauioribus muneribus, negotiisque gerendis, libertati ab vrgentioribus vitae curis, commercio cum summis hominibus, litterarumque disciplinis debentur. Quo pertinent omnes, qui iis reip. muneribus funguntur, quae doctrina non egent, milites, vel si qui sint priuati, nec

nobiles, nec docti, mercatores, artifices, opifices, rustici, familia, mulieres, quarum ingenium praeter morem non est excultum, omnes, quorum nondum ad maturitatem peruenit ingenium, pueri, ac puellae, et qui vix ex ephebis excessere, adolefcentes, quales sunt plerique in scholis inferioribus litteris studentes.

§. 10. Monendum hic est, in omni hoc libello, ubi sermo est de populo ita intellecto, maximam semper partem spectari, nec eorum ex altioribus praesertim classibus rationem posse haberi, qui, quamvis nec loco insignes sint, nec docti, tamen ea educatione sint vti, eoque otio, aut hominum doctorum commercio fruuntur, ut ad excellentiorum, doctorumque culturam accedant. Agitur omnino non de populo plane fero, et rudi, sed ad parem fere cum Germanico, qualis est in cultioribus Germaniae partibus, culturae gradum euecto.

§. 11. Iam vero, quum is, quem dicimus, orator oratione, h. e. animi cogitatis, verbis expressis, et ore pronuntiatis vtatur ad persuadendum populo, ad excitandum hunc, vel illum animi motum, ad mouenda haec, vel illa consilia, ad eliciendos, iuandosue hos, vel illos actus, primumque sit mentis, posteriora tria animi ac morum; ante omnia animum populi spectet, cognoscatque necesse est.

§. 12. Animus, latiori sensu sic dictus, mentem, cuius est ingenium, et cognoscendi vis, atque animum, strictiori sensu acceptum, voluntatem, moresque, quorum sunt consilia, affectus, facta, complectitur.

§. 13. Indoles autem ingenii animique populo eadem est, et esse debet, quae cultioribus ciuium classibus: est enim ea naturae, quae omnem conditionem ciuilem antecedit, ac humanitatis, quae quidem hoc, vel illo modo variari, augeri, minuique potest statu ciuili, tolli non potest: docetque experientia quotidiana, haud paucorum de populo hominum excellere ingenia, paucis, vel nullis praesidiis adiuta, variis impedimentis circumseptis, nobilium doctorumque multos hebetes ingenio esse, ac tardiores, vtriusque classis homines, et inferiores, et altioris, iisdem abripi animi motibus, cupidine, ira, ambitione, et in consiliis capiendis rationis sequi cognitionem, ac felicitatis sibi scopum

propositum habere. Sed magnam tamen vim habet externae conditionis diuersitas ad diuersam harum facultatum culturam, vnde prod-eunt, quae propria sunt populi, in quibus cognoscendis summum oratoris, nisi velit orationem effectum esse destitutam, versari studium oportet.

§. 14. Causae huius diuersitatis sunt variae, eaeque omnes ab externa populi conditione oriundae, quas cognoscere profuerit oratori, ne specie externa, quae saepe in tam diuersis viribus, et cultura est eadem, decipiatur, vtque recte rem aggrediatur suam.

§. 15. Prima versatur in institutione, quae, cum plebisque huius classis hominibus tardius, quam cum altioribus incepta, ob discipulorum, quae saepissime est, multitudinem lentius procedit, et, quum cognitionis ad futurum vitae genus maxime necessariae limites raro excedat, saepius doctrinae memoriae mandanda, quam ingenii ad veritatem suis viribus inuestigandam excitandis occupetur, et, simulac tempus capeffendi vitae generis venerit, finiatur; nec ipsa adeo ingenium acuit, nec fatis largam cogitationis exercendae materiam praebet, nec fatis variam.

§. 16. Nec minor diuersitatis causa inest in omni populi educatione, quae omnino magis ad artis, quam profitentur parentes, aut liberi sunt tractaturi, vitaeque generis, quo vsuri sunt, quam ad vniuersi ingenii culturam componitur, nec habet ea ingenii acendi, poliendique adminicula, quae parentum cultiorum otiosiorumque, et omnino plurium, et magis vrbano-um, atque eruditorum hominum commercium praebet eminentioribus.

§. 17. Accedit, quod vitae genus hominum de populo plerumque est tale, quod otium, studiumque omne, viresque cunctas sibi poseat, nihil, vel parum ingenii culturae relinquat, aut quia haud raro quod adhuc reliquum est otii, viriumque, vrgentibus vitae sustentandae curis absuntur, aut, quum desit litterarum amor, nec lectio, nec commercio cum eruditionibus, sed recreationi corporis, iucunditatique dicatur.

§. 18.

§. 18. Est denique et magnum status externi discrimen. Habet plerumque populus plus molestiae, et angustiarum, minus honorum, potentiae, opulentiae, libertatis, pluribus subest, pluribus inferuire, plus ferre, ac praestare, quam eximio in loco collocatos, doctosque, populum oportet: quae ingenii formandi otio, facultate, voluntate, alacritate priuant.

§. 19. Quas varias causas magnam habere vim debere ad ea, quae sciat, et quae intelligat, ad modum, quo cogitet, sentiatque, ad res ac rationes, quibus moueatur, et commoueat^r populus, sponte apparet; duo enim priora ab institutione, et educatione, posteriora ab omni vitae genere, statuque externo, cum prioribus coniuncto, oriuntur.

§. 20. *Sciendi* vox duplicem habet vim: significat enim modo sensibus suis, experientiaque propria cognitum habere, modo tenere, quae didiceris. Iam vero, quum liberi inferiorum potissimum populi classium mature ad ea negotia, quae ad victum comparandum pertinent, accedant, mature corporis viribus ad labores suos perficiendos vtantur; vberiore etiam, clarioremque earum rerum, quae vitae sunt communis, corporisque corroboracionem tangunt, cognitionem sibi comparant. Sciunt igitur optime, quae sint rei familiaris, domesticaeque tractandae, quomodo cum heris, quomodo cum famulis agendum, quomodo conciliandis, tractandisque operae, quomodo fides sibi apud alios facienda, quomodo amicitiae comparandae, inimicitiae vitandae, et similia. Sciunt multa, quae faciant ad vires corporis excolendas, exercendas, augendum robur, valetudinem firmandam. Habet suae quisque artis cognitionem sibi familiarem, nouit, quo optimo modo praeparetur, accingaturque ad opus suum faciendum, qua materia, quibus instrumentis vtendum, quae sint laboris compendia, quae artes adhibendae, quae difficultates, quae impedimenta obiciantur, quomodo vincenda, quae commoda et emolumenta speranda, quomodo percipienda. Ita rusticus rem agrariam, et pecuariam, opifex opificii sui rationes, artifex artis praecepta, tractationemque, grauitatem et commoda, mercator commercii faciendi modum optimum, emtorum alliciendorum artem, emendi, vendendique

opportunitum tempus, locumque, miles militaria exercitia, hostium aggrediendorum, reprimendorumque, quo uti ipsum oporteat, modum, vitae, quam sibi sumsit, generis labores, pericula, commoda, praemia probe nouit.

§. 21. Gaudet populus porro haud contemnenda naturae cognitione, haud quidem illa naturae penetralia ingressa, nec omnibus numeris absoluta, nec docta et subtiliore; sed tamen earum rerum, quas quotidie videt, obseruat, tractat: quarum satis magna est copia. Ita pastores et rustici coeli, siderumque rationes multas, cursum, statum, anni temporum, tempestatumque indicia, naturam, commoda, incommoda, in usum suum conuertendorum praecepta sciunt. Nouerunt, quae sit agrorum natura, si terrae spectes genus, fertilitatem, frumentorum, quod optime conueniat, genus, quem sibi possint peculiarem arandi modum, multaque alia. Cognoscunt pecorum, haud quidem omnium, attamen eorum, quae tractant, naturam, pastum, viuendi genus, qualitates diuersas; venator ferarum, pastor domesticorum animalium. Cognoscit, quas quisque tractat, et vnde quaestum facit, herbas, plantas, arbores, fossilia.

§. 22. Nec ingenii humani, animique cognitione omni caret populus. Haud enim raro sciunt plerique, quomodo et sui similes sentiant, quibus agendi rationibus moueantur, quae sint cupiditates, quid, et quomodo simulent, dissimulent, quomodo optime tractandi, atque ad sua consilia ducendi ii, quibuscum negotium est.

§. 23. In iis, quae ex institutione scit, tenetque populus, primum iure occupat locum religio, cuius multo vberior, quam aliarum disciplinarum, doctrina impertiri populo solet, estque varius ac sempiternus ad vitam usus. Eorum igitur, quae de religione didicit, multa quidem obliuiscitur, ea praesertim, quae sunt abstrusiora, nec habent, quo aut sensus, aut imaginationem moueant, aut utilitatem quamdam praebent ad vitam bene, et feliciter gerendam: qualia sunt, quae de Dei natura philosophice spectata, de notione spiritus, de modo, quo

agat providentia diuina, secretiori, et eiusmodi compluribus docentur; quamuis et horum non pauca teneant, qui memoria gaudent egregia, neque ea aliis rebus plus iusto referta. Sciunt autem, tenentque, quae a primis annis clare sunt exposita, quae saepius audiunt, leguntque, quorum memoria cantibus, aliisque sollempnibus recens seruatur; ea potissimum, quae solatium praebent miseriarum, tranquillitatem incertis vitae vicissitudinibus, ad spem praesentis, futurique temporis erigunt, moresque regunt: quae omnia, uti uilia, ac necessaria esse, populus ipse sentit, ita et non nisi de rebus ipsi familiaribus agunt.

§. 24. Ceterarum disciplinarum quo minus didicit, eo difficilius, eoque pauciora paucorum, quae docta sunt, tenet. Traditur autem infimis populi classibus, si ab arithmetica communi discesseris, pene nihil disciplinarum. Docetur quidem, tenet, adhibetque opifex ea ex mathesi applicata, quae opificium ipsum, eiusque instrumenta, atque tractationem attingunt, v. c. molitor, fabri omnis generis; mercator multa ex historia naturali, geographia: quae tamen plerumque nec subtiliter traduntur, nec adhibentur, sed mechanice. Quo sunt altiores populi classes, eo plura ex mathesi applicata, historia ciuili, naturali, dialectica et scribendi arte ipsis traduntur: quarum rerum omnium, si maximam populi partem spectes, eae potissimum seruantur, quarum usus est quotidianus, obiiciturque saepius species, reliquae, quae sunt abstrusiores, si seruantur, quasi nocte quadam circumfusae, in mente quiescunt.

§. 25. Cernitur alia quaedam populi, strictiori sensu dicti, uarietas in iis, quae intelligit: magna enim inter sciendum, intelligendumque differentia intercedit. Scimus, quae aut aliorum institutione, aut usu nostro, sensibus, experientia, obseruatione cognouimus, memoriaque tenemus; intelligimus, quae hoc, vel illo modo oblata, capimus, h. e. quorum nobis satis claram, perspicuamque effingimus notionem (quod in plerisque sufficit) aut quorum perspicimus naturam causasque. Claram appellamus eorum notionem, quorum tot cognoscimus notas, ut distinguere ab aliis rebus possimus; perspicuam

eorum, quorum notionem omnem mente amplectimur ita, ut non modo genus, sed et formam, et quae his accidunt, distinguamus. Apparet inde, quatenus scire significet memoria tenere, posse, praesertim ab his, qui ea videntur egregia, sciri, quae non intelligantur; intelligendorum multorum facultatem esse posse, quae nondum intelligas, nec scias: sed liquet etiam, sciri, quatenus idem illud sit, quod cognoscere visu et sensibus, non posse, quae non item intelligantur. Sensu priori populus scit multa theologiae dogmaticae vocabula, multasque definitiones, quas non intelligit: posteriori artis quisque suae tractandae modum, religionis multa praecepta, ad tranquillitatem animi, morumque integritatem facientia et scit, et intelligit: multa religionis praecepta nondum scit, quae recte proposita intelligere potest. Intelligimus, quid sit Deus, non quod omnem Dei naturam perfectam habeamus, sed quod scimus, quomodo a mundo, omnibusque naturis finitis differat. Intelligimus, virtutem esse colendam, quod eius naturam, causas, ob quas vitio sit anteponenda, genus eius, variasque formas cognoscimus.

§. 26. Ex his facile poterit uniuerse definiri, quae intelligat populus. Intelligit primo, quae scit sensu prioris: ergo, quae proprio visu, aut aliorum ex institutione cognouit. Dein etiam multa, quae ex doctis, cognitisque sequuntur. Scit, Deum sanctum esse, facile intelligit, vitiositatem ipsi probari non posse. Scit, solertiam non nisi visu et exercitio comparari; intelligat igitur necesse est, pigro ac desidioso numquam fore.

§. 27. Intelligit porro, quorum, si offeruntur, cognoscendorum est facultas; est autem illi facultas cognoscendi ea, quae ex ante cognitae sequuntur, etiamsi antea de eorum nexu nondum sit cogitatum, atque omnino omnia, quae nec magnum ingenii acumen, nec diuturnam cogitandi exercitationem, nec multum subtilitatis postulant: res ergo omnes in sensus cadentes, quae sunt corporeae, quae palpari, gustu, odore percipi, videri, audiri possunt, quaecumque ad propriam experientiam pertinent, quae iucundos, iniucundosue excitant sensus, quorum est usus aut ad laborum facilitatem, aut ad vitae commodi-

tatem; voluptatemque, quae afferunt commoda, honorem, aut damno, contumelia afficiunt. Possunt ea a populo cognosci, etiam si ipse primus non aduerterit: est enim saepissime quaedam popularis ingenii tarditas, quae, contenta iis, quae scit, intra virium limites consistit, excitata, atque impulsata, tandem latius procedit.

§. 28. Necessè etiam est, ut, quae intelligi a populo velimus, cum ipsius cogitandi, sentiendique modo conveniant, qui cogitandi modus quid sit, mox docebitur. Neque enim potest cogitare nisi suo modo, cui, quae non conveniant, falsa semper videbuntur: nec mutabitur ille, nisi magna cum cautione demonstratum fuerit, haec vel illa iudicia, opiniones, commenta ab eo, quo in reliquis vtatur, cogitandi modo diserepare.

§. 29. Tandem non nisi ea intelligit, quae populari modo enunciantur, h. e. verbis, et sermone populo vsitatis, et cognitis: neque enim potest alia ratione cum mente humana agere orator, nisi sermone, qui quum constet verbis, quorum de notione conuenit, sponte apparet, quorum nondum sit cognita notio, eorum nullam vim esse posse, neque minus res cognitae verbis incognitis enunciatas latere auditores, quam incognitas cognitae verbis et familiaribus illustratas illucere eorum menti debere.

§. 30. Haud igitur intelligit, quae non didicit, nec quae ex doctis non sequuntur, nec quae sunt a sensibus, omnique experientia remota, aut subactum longa exercitatione, atque doctrina, ac mire acutum ingenium postulant, nec quae recedunt a populari cogitandi ratione, nec quae minus populariter enunciantur.

§. 31. Vtitur porro populus peculiari *cogitandi, sentiendique modo*. Quamquam enim omnibus hominibus eadem sit cogitandi vis, lexque cogitandi communis; cuiuslibet tamen hominum classis peculiaris est cogitandi modus; quae diuersitas ab institutionis, educationis, vitae generis, omnisque status externi diuersitate originem ducit.

§. 32. Cogitandi autem, sentiendique vocem h. l. non de vniuersis humanae mentis functionibus, sed de ea, quae versatur in iudicando de rerum vel natura, vel qualitatum, intellectam volumus. Ea autem iudicia tum animus fert, quum per notiones cognoscit, i. e. quum, singularum rerum, idearumque notis vnum in genus collectis, eas ad hoc, vel illud pertinere, tales, vel alias esse intelligit et statuit.

§. 33. Iam vero populus vititur notionibus plerumque imperfectis, nec satis distinctis: raro enim aut otii tantum, aut sollertiae habet, aut tam bene instructus est, atque eruditus, vt omnes notionis alicuius partes cognoscat, quae sint generis, quae fornarum notae, quae naturam rei animo conceptae constituent, quae adesse, vel abesse possint (quae sint essentialia, vel accidentalia) intelligat. Ita fit, vt aut genera rerum inter se confundat, resque singulas alieno generi subsumat, aut partes minus necessarias pro necessariis habeat; Deum, spiritum perfectum, humano modo agere ac sentire, saepe vtilia honesta putet, aequitatem a iustitia, benignitatem a sapientia, imbecillitatem a malitia non semper satis fecernat.

§. 34. Iudicat potissimum ex sensibus. Quae sensus titillant, quorum suavis est odor, gustusque, tactus mollis, sonus iucundus, adspectus oculis suavis, ea omnino pulera, bona, expetenda ducit: quae durius hos sensus afficiunt, ea omnino mala, fugiendaque censet, nihil, aut parum curans interiorem rerum naturam. Vnde fit, vt haud raro esculenta suauia gustu, sed maxime noxia, medicaminibus saluberrimis anteponat, vitae commoditatem labori, sibi, aliisque vtilissimo, delicias, voluptatesque virtuti, pulcrum honesto, omnia ex specie externa iudicat; hominem eximia forma praeditum, hilari, blandoque vultu, ac suauis voce vtentem, adulatorem quamuis scelestum, proditoremque, pluris habeat, quam maxime probum, amicissimum sibi doctorem virtutis, monitorem vitiorum, sed paulo acerbiorum, omnique hac externa specie carentem.

§. 35. Quum ita a sensibus populi iudicium pendeat; facile intelligitur, cur mira videndi sit cupidus: est enim multarum rerum species mirabilis; speciem vero potissimum sequitur populus.

Quumque nonnisi ea miremur, in quibus insit, quod aut non expectauerimus, aut non intelligamus, nec eo populus cognitionis ambitu, et veritate, quibus docti et liberalius educati omnes, vtatur; plura huic, quam aliis, mirabilia videri necesse est. Praeterea, quum res omnes, aut specie sola mirabiles, aut vere miraculosae percellant, commoueantque sensus, eo magis excitatur, teneturque ingenium populi tardius, crassiusque.

§. 36. Nec adstringit se populus feuerioribus cogitandi legibus, vt scilicet iusto cogitandi ordine vtatur, nunquam a capite quaestio- nis digrediatur, quemadmodum aliud ex alio sequatur, rite examinet, ad primas rerum causas recedat, ex primis cogitandi principiis quaeuis ponderet, qui sit sensuum ad cognoscendum verum valor, quod rationis officium, recte aestimet: quas leges aut non cognoscit, aut propter cogitationis imbecillitatem, festinationemque, aut quod nunquam iis sequendis assuefactus est, saepissime violat.

37. Sequitur potius sensum, qui dicitur, communem, h. e., omni cogitandi subtilitate omissa, eorum tantum habet rationem, quae omnibus, aut plerisque hominibus, sui potissimum similibus, quos sana putat ratione gaudere, vera, bona, vtilia primo adpectu videntur. Itaque ne quaerit quidem, an res externae sint tales, quales sensibus videntur, an sit libertas, an virtutis vitiique discrimen, ridet, quum audit doctorum hominum his ac talibus de rebus quaestiones, non auditas ne diuinat quidem, vltiora horum sensus communis iudiciorum quaerere argumenta, ne in mentem quidem venit.

§. 38. Ita fit, vt satis apte ad vitam communem, virtutisque studium iudicet; in rebus, quae altioris sunt indaginis, subtiliorisque et cognitionis, et probationis, saepissime erret. Ex sensu communi, Deum a mundo diuersum, hominum, rerumque omnium rectorem iudicemque, virtutem colendam, res externas et corporeas tales, vel alias, ad hos, vel illos vsus aptas esse, recte iudicat. Sunt enim ea vsus quotidiani, versantur in externa rerum corporearum specie, colore, forma, duritie, calore, et quae sunt alia, sine vlla disquisitione sta-

tuuntur convenienter cum solitis hominum de rerum causis, de utilitate, decore, honestate iudiciis, cum animo hominum, moribusque, quatenus factis exferantur: quae omnia recte iudicantur, tractanturque e sensu communi.

§. 39. Secus est in iudicio de rebus subtilioribus ferendo: quales sunt plura theologiae decreta, natura animi humani, spirituum natura ac vires, vis argumentorum pro veritate religionis subtiliorum, disputatio de iis, quae conveniant Deo vere, quae humano tantum more tribuantur, quid sciamus de rebus externis, quae eorum sit ad sensus relatio, quid videatur tantum? In his, ac talibus decernere nequit sensus communis, nec, si decernit, recte. Ibi enim quum desit principiorum, ex quibus haec sunt iudicanda, cognitio, sensusque communis proprie nihil de his possit pronuntiare; qui de populo volunt ingenium exercere, nec virium limites vident, se, suam experientiam, sensusque normam iudicandi habentes, quae ipsis primo ad spectu videntur, pro veris habent, quae ipsi non sunt experti, negant, eum, quo ipsi utuntur, iudicandi, agendique modum; excellentioribus quoque, et perfectioribus naturis tribuunt: qui, quam sit circumscripta talium cognoscendorum facultas, sentiunt, et agnoscunt, ii haud raro ne conantur quidem horum meditandorum, examinandorumque periculum facere; sed coecam doctoribus fidem habentes, illorum commenta iuxta atque recte decreta amplectuntur.

§. 40. Quae quum ita sint; facile intelligitur, non posse non populo suas praepiudicatas opiniones, erroresque peculiare esse. Sunt omnino praepiudicatae opiniones eae, quas amplectimur nulla de earum veritate, falsitateve quaestione instituta: possuntque aut verae esse, aut erroneae, habent autem saepius vera mixta falsis. Eiusmodi est communis iste maximae populi parti contemptus doctrinae, et inprimis docti apparatus in docendo, argumentando, monendo, omnium novarum rerum, quo imperitiores potissimum flagrant, odium, antiquarum, qua talium, nullo ad earum veritatem, falsitatemve habito respectu, amor, quibus opinionibus muniti, haud raro omnes omnino doctos, omnem institutionem, omnia, vel firmissima eorum, quorum

rum examen nec instituerunt, nec instituire possunt, argumenta respiciunt. Inde venit medicorum doctorum aspernatio, et flebilis iste ad circumforaneos concursus, pertinax omnium argumentorum reiectio, quibus superstitiones ipsius refelli, dissoluique possent. Hae superstitiones ipsae in opinionum praeiudicatarum numero recte habentur: sunt enim eae plerumque a parentibus quasi hereditate acceptae, ac traditae, nec unquam examinatae: quo pertinent spectra, prodigia, quorum agitantur metu, magicae artes, quibus otium, operam, pecuniamque perdunt, quibus a prima infantia sibi traditis, et iniunctis ita solent adhaerere, ut contradicentem statim repudient, argumentis evidentissimis, si contrarium videantur probatura, ne aures quidem praebent, saepius rei familiaris, famae iactura, ut dimittant, non moueantur.

§. 41. Errores ita a praeiudicatis opinionibus differunt, ut semper a veritate recedant (quod etiam vocabulum ipsum innuit,) nec excludant, aut praecant meditationem, examenque; sed sequantur. Oriuntur populi errores ex rerum imperfecta cognitione, sensuum fallacia, et inopia subtiliter cogitandi facultatis. Tales cernuntur, si religionem spectes, in comparanda summi numinis perfectione cum imbecillitate humana, huiusque defectibus illi tribuendis, in eo, quod ea, quae sensus suauiter afficiunt, et in hac, et in futura vita sibi concessum iri expectant. Maxime conspicui, noxiique sunt populi errores circa morum praecepta: quod, e. c. multi putant sufficere fieri, quae expressis verbis iubeantur; quae ex lege sequantur, quorum faciendorum eadem adsit causa, si non diserte iubeantur, intermittere posse, quod vi aliorum aggredi bona vetant, dolo eos fallere permittunt.

§. 42. Tandem vero non minor est populi a ceteris ciuitatis classibus diuersitas, ea si spectes, quibus ad agendum *mouetur* populus, animi motuum, qui, et causarum externarum, quibus commouentur, naturam. Iam vero, quum populum constet plus aliis a sensibus pendere, quippe cuius ingenium, animusque minus subigantur disciplina, cuius prius, magisque exerceatur, excolaturque corpus, et

cui sint plurima sensibus tractanda, atque percipienda; inde iam colligendum est, cum his potissimum rebus moueri, quarum insignis, fortiorque in sensus vis sit. Neque enim, quod omnes omnino homines a sensibus pendent, et excitantur, quominus id in populum imprimis cadere dicamus, impedit: est enim huius rei gradus, modusque diuersus.

§. 43. Placent igitur populo ante omnia, quae sensuum appetitus explent, sensusque ipsos voluptate quadam demulcent; contra, quae appetitus eius non explent, aut carere ipsum faciunt, aut afficiunt dolore, ea displicent. Vti autem quaeque populi classis est infima, maxime inculta, atque a politiorum hominum commercio longissime remota, et vti singuli cuiusuis classis homines sunt maxime rudes, ita minime rationem habent subtiliorum, vt ita dicam, sensuum. Subtiliores scilicet eos appello, qui vix suauiter afficiuntur, nisi sit quaedam ingenii, animique ad elegantiam cultura, nec tam rerum in ipsos vehementi impetu, quam dulcedine, et pulchritudine mouentur, quales sunt auditus, et visus, quos si delectari velis, necesse est, cognoscas, sentiasque sonorum inter se concertum, discordiamque, formarum proportionem, colorum conuenientiam, et quae sunt similia. Maxime isti homines afficiuntur iis rebus, quae sensuum appetitum, famem, sitim, rerum Venerearum cupiditatem explent, quae molles, iucundaeque sunt tactu, quae roboris, omninoque bonae valetudinis sensum praebent: aegre ferunt harum inopiam, dolorem sine fructu ferendum, vitae asperitatem, incommoditatemque, imbecillitatem, aduersam valetudinem. Minoris faciunt, quae molliorum sunt, delicatiorumque sensuum, cibos, potusque exquisitiores, peregrinos, multa arte paratos, vitae commoditates, quae magis quietis desiderium excitant, quam iam excitatum explent, tempestatum asperitatem, labores, leues corporis infirmitates, dolores (si possit inde capi vtilitas) mollioribus hominum vix ferendos.

§. 44. Porro, quum plerorumque de populo hominum victus ex labore pendeat, nec raro vel leui damno valde extenuetur, commodis perceptis vehementer augeatur; diligenter populus damnum,

commodumque, nec leuiores minus, quam maiora, et grauiora, spectat, quibus percipiendis, vitandis saepe carissima, imo sanctissima quaeuis, delicias, valetudinem, amicitias, libertatem, officium postponit: neque facile minimum est commodum, quod non eminus animaduertat, aucupeturque, neque magis damnum leuissimum, quod non, si fieri possit, auerfetur. Vnde fit, vt opulentiam, diuitiasque maximi aestimet, inopiam, ac paupertatem, summum malum censeat, contemnat, et opprobrio ducat, quamcumque quaestus faciendi captet occasionem, saepissime, vel amicissimis, quibus idem sit vitae genus, eorundemque commodorum studium, inuideat, atque ea eripere studeat; quum contra excellentioribus per omnes, quibus vtuntur, rationes liberaliores hac in re se gerere liceat, ac plerique, saltem leuioribus commodis neglectis, amicitiae, virtutisque studeant.

§. 45. Honoris quoque studio populus ducitur, neque tamen maxima populi, praesertim inferioris, pars, nec plerumque honoris eius, qui ex recte, laudabiliterque factis oritur, sed quem ob corporis robur, diuitias, si quae sunt, amicitias, aut clientelas sibi haberi vult, ac potissimum in blanditiis, et assentationibus eum ponit, inque opinionis pertinacia.

§. 46. Quarum rerum iis maxime mouetur, quae facillime in omnium oculos incidunt, iis magis, quae adfunt, aut mox sunt euenturae, quam quae tardo sequuntur, iis magis, quae corpus, externamque conditionem, quam quae animi perfectionem, veramque felicitatem spectant. Haud igitur raro iactationibus decipitur, diuitiarum splendorem, adulationem verae felicitati, veroque honori anteponit, ob praesens commodum minus, maius futurum negligit, praesenti voluptate corporis valetudinem destruit.

§. 47. Raro ducitur veritatis per se consideratae, bonique, tamquam talis, amore, et quo est inferior, eo minus iis tenetur: non enim nisi bene exculti est animi, eiusque ad cogitandum exercitati, atque a rebus sensus ferientibus abstracti, vero cognito gaudere, etiam si nullum inde commodum expectandum videatur. Etque omnino in populo tanta sensuum, atque animi perturbationum vis, sunt tam

variae lucri faciendi, voluptatis percipiendae illecebrae, sunt ipsi tot opiniones praecudicatae virtuti verae officientes, ac tam saepe a potentioribus, et insignioribus deprimuntur, fallitur, in abusum vertitur eius impotentia, ac bona fides, ut haud leuibus virtutis colendae praesidiis, incitamentisque careat, impedimentisque grauibus circumseptiatur.

§. 48. Plerique igitur de populo verum ne cupiunt quidem cognoscere, nisi antea eius cogniti utilitas sit probata. Earum potissimum rerum student cognitioni, quarum ad vitam tranquillio-rem, commodiorem, iucundio-rem reddendam est usus. Res a sensibus alienas minoris aestimant, ac, si quas, ut religionis decreta, tractant, inducuntur eo, quod earum ignarum grauius damna, seu in hac vita sola, seu et in futura, cuius tamen non nisi paulo cultiores magnam habent rationem, manere putant. Nec plus quaerunt, quam ad finem sibi propositum consequendum sufficere videtur.

§. 49. Officio exsequendo, qui de populo semel student, ii haud raro dextre, et strenue id agunt, nulla mollitie fracti, nullis tergiver- sationibus vtentes; sed, quid sit bonum per se, non capiunt. Pauci sunt, quibus officii solius cogitatio sufficiat. Reliqui eo mouentur, quod sciunt, haec fieri a Summo Numine iuberi, nec facile plus di- ferte iussis faciunt, plerique metu incommodi, spe commodi, potissi- mum terrestri, tum vero et aeterni, impelluntur.

§. 50. Quarum rerum eas, quae placent, petunt, quae displicent, remouere a se omni modo conantur, faciendis, quae possunt volupta- tem, commodum, et eius generis complura asserre, incommodum, do- lorent fugare, omittendis, quae non sine damno, et dolore fieri posse videntur. Quoque res arctius est cum corporis voluptate, omnique externa conditione coniuncta, eo citius, fortiusque plerosque impellit, eo constantius peti solet.

§. 51. Quibus animi commotionibus populus inprimis obnoxius sit, facili negotio ex eo efficitur, quod de iis, quae placeant populo,

displieantur, dictum est: iis scilicet, quae corpus externamque conditionem attingunt, suntque animi minus exculti, ut voluptate, lucri cupiditate, ira, rarius ambitione. Solentque iis potissimum rebus commoueri, quae in promptu sunt, facile in oculos incurrunt, fortiterque sensus concutiunt, minus iis, quae sunt exquisitiores, altiusque petendae. Semel irritatae solent esse vehementiores, nec facile dissimulantur, nec, nisi cupiditate expleta, sedantur: est enim populo maius corporis robur, quod multum facit ad animi motus incitandos, et nutriendos, minorque ad continendos regundosque eos exercitatio.

§. 52. Haec de populo in vniuersum dicta sunt, nec nisi de vniuerso populo valent. Attingunt alia plus, alia minus singulos de populo homines, singulasque populi classes: est enim haud leuis in eo diuersitas, quae ab institutione, educatione, viuendi genere, statu externo proficiscitur, quarum rerum vis ad ingenium, animumque supra §is 15-18. paullo vberius est illustrata.

§. 53. Est enim institutio, et educatio pro opibus, viuendi genere, sapientiaque parentum diuersa, suntque *diuersae populi cuiusque terrae, et loci classes*, quae loco, quem teneant homines, altiori, vel inferiori, opibus, et otio, quibus fruuntur, aetate, cognitionis, ac sapientiae, ad quem euecti sint, gradu, moribus inprimis diuersis constituuntur. Sunt, qui loco, scientia, moribus proxime, sunt et, qui longissime a doctioribus, eminentioribusque absint. Sunt, qui vtantur opibus, et otio ad ingenium, animumque excolendum; sunt, qui aut non vtantur, aut his praefidiis careant. Sunt industrii, assiduique, qui magna cum circumspectione artem suam tractent, eaque tractanda ingenium valde acuant, et magnas sibi concilient opes; sunt pigri, et desides, voluptatibusque dediti, quorum meditatio non modo ultra artis fines non progrediatur, sed ne intra ipsos quidem exerceatur.

§. 54. Aliter sentiunt, aguntque pueri, aliter iuuenes, aliter viri, aliter senes. Alteri sunt imbecilli, alteri leues, ac vehementes, alteri strenui, alteri tranquilli, opinionum, consuetudinumque tenacissimi:

Qui igitur plura didicerunt, magisque sunt exerciti, plus quoque tenent, intelliguntque. Qui probi sunt, ac impigri, plus etiam impendunt operae animo excolendo. Imperiti nouarum rerum, quamuis meliorum, sunt impatientiores. Quo sunt rerum peritiores, eo rectius iudicant, quo magis exercito ingenio, eo minus a sensibus pendent, erroribusque obnoxii sunt, eo minus in verba magistrorum iurant. Quo propius, lubentiusque ad doctiores, et politiores accedunt, eo minus doctrinam contemnunt, eo plus eorum errorum deponunt, qui ab illis spernuntur, plus earum recipiunt opinionum, quibus ii adhaerent. Pigri, ac desides inopiam nec contemnunt, nec summum malum ducunt; sed nec laborem industrium, diligentemque officii esse putant. Qui probe sunt exculiti, et quibus maior cum doctioribus, nobilioribusque familiaritas intercedit, aut omnino minus voluptatibus, aut saltem crassioribus, ut ita dicam, libidinibus, vilique lucri cupiditati minus indulgent, in diuitiis potissimum, munerum, quibus fungantur, grauitate, vrbanitatis laude, nec nisi exquisitioribus, tectioribusque blanditiis honorem ponunt. Animi affectionibus vel omnino minus reguntur, vel continere eas, ac dissimulare didicerunt.

§. 55. Est omnino populus diuersis in terris, locis, imo coetibus diuersus: quod discrimen oritur e diuersitate coeli, quippe quod magis, minusue ingenii culturam adiuuat, fertilitatis, quae plus, minusue laboris ad satisfaciendum primis vitae necessitatibus, publici status, qui quaestus facendi occasionem, et praesidia praebet, aut praeripit, literarum, sapientiaeque, quae alio loco plus, alio minus coluntur, iuuantur, contemnuntur, impediuntur, hominum, quorum hic plures sunt docti, acuti, sapientes, vrbani, illic rudes, quorum hic arctior est per amorem, virtutem, commoda coniunctio, illic mutuum odium, separatio, contemptus.

§. 56. Quanta autem cumque sit haec diuersitas, explicatas tamen notas, quibus distinguius populum, non delet, sed variat, h. e. auget, minuit, alio, et alio modo coniungit, nec has quidem in vni.

verso populo, sed in singulis classibus, hominibusque, praebentque hae notae vniuersam populi notitiam, qui qualis in singulis locis, certisque sub conditionibus sit; ex illis notis facilius cognoscetur. Esse autem singulos in populo homines, paucasque familias, quibus ea non videantur esse tribuenda, id vix monendum, nec omnino veritati hactenus dictorum derogare posse putamus: sunt enim exceptiones, quibus nulla regula caret.

§. 57. Nec tandem id obstat, quod quaedam de populo dictorum etiam in alias ciuitatis classes cadere videantur: quae enim aliis rarius accidunt, ea populo saepius, suntque earundem causarum effectus diuersi, modusque, quo exferantur, peculiaris.

SECTIO II.

De noxione dicendi generis popularis.

§. 58.

Sub *dicendi genere* hoc in libello complectimur, materiam, quam tractat orator, modum, quo tractat, et elocutionem. Materiam, quamquam proprie non refertur ad dicendi genus, tamen putavi hic simul sub hac formula comprehendi posse; quum dicendi genus quoduis apte ad materiam componendum sit, et populare inprimis genus non conueniat cuius materiae.

§. 59. Est autem materia res, de qua persuadere, quam illustrare, ad quam, aut qua mouere vult orator. Tractatio cernitur in dispositione, h. e. partitione, et ordine partium orationis, argumentorum, exemplorumque delectu, et vsu; elocutio spectat verba, constructiones, tropos, figuras.

§. 60. Materia est popularis, si cognitioni, intellectui, cogitandi modo, et omnino animo, moribusque populi est apta; tractatio, si

dispositionem capere, ordinem orationis cogitando sequi; argumentorum, exemplorumque vim intelligere populus potest; elocutio, si populus verba capit, constructionesque, si troporum, et figurarum vim, atque ornatum assequitur. Eorum vberior tractatio partim ad rhetoricam vniuersam pertinet, partim posteriore huius libelli parte exhibebitur.

 SECTIO III.

De notione oratoris.

§. 61.

Oratorem dicimus eum, qui sermone continuo, eoque perspicuo, copioso, atque ornato auditores ad sua consilia perducere studet. Ea semper cum oratoris vocabulo coniuncta notio fuit, siue de legatis sit vsurpatum, siue de iis, qui publice accusarent, defenderent, laudarent, vituperarent, suaderent, dissuaderent, mouerent, cohortarentur, consolarentur. Fuit semper consilium, ad quod perducere orator conaretur, fuerunt auditores, vsi sunt sermone, nec eo interrupto, aut qualiscumque in buccam veniret, comto, incommotue, sed quantum potuerunt, perspicuo, copioso, ornato.

§. 62. *Consilium* oratoris est duplex: persuadendi, et mouendi. *Persuadet*, vbi aliquem eo perducit, vt idem, quod ipse, sentiat, et iudicet, nec de sensuum, iudiciorumque veritate, et iustitia, aut saltem, vbi id effici nequeat, probabilitate dubium ipsi restet: vera enim persuasio dubitationem omnem excludit. Persuasionis igitur consilium versatur in eo, vt sentiat, iudiceturque, hominem aliquem talem (quoad genus, formam, qualitates, statum externum, actiones) esse, qualem dicimus, rem quamdam, sicut factum, historiam, sententiam, praeceptumque, veram esse, ita se habere, vti dicimus, esse bonam, malam, pulchram, vel foedam, vtilem, vel noxiam: ea enim sunt, de quibus plerumque quaeritur, ac disceptatur.

§. 63.

§. 63. *Mouetur* quis, quum eo perducitur, ut velit aliquid agere, vel omittere, et vere agat, vel omittat. Quod efficitur, quum probatur, illud recte, pulcre, utiliter, honorifice, hoc male, turpiter cum damno, et ignominia fieri: talia enim sunt, quae fugiant, quaeruntque homines. Neque tamen semper efficere orator potest, ut vere agant auditores, quorum perficiendorum propositum excitauit; est enim plerumque inter consilium captum, et exsequendum quoddam temporis spatium interpositum, in quo haud raro, quae proposueramus, difficiliora, aut minus bona, aut aliis consiliis, animique propensionibus videntur contraria esse: quare, ubi fieri potest, et necesse est, animi perturbationes mouentur, quales sunt appetitus illi, sensusque uehementiores, arctius cum natura humana coniuncti, h. e. qui aut ex rationibus humanis oriuntur, aut, quibus ut satisfiat, humani corporis ac generis conseruatio postulat, quibus perturbationibus ita afficitur animus, ut saltem primo impetu ab iis abripiatur: amor, odium, ira, inuidia, misericordia, timor, spes, laetitiae: quae excitantur demonstrando esse aliquid pulcrum, turpe, noxium, nobis infestum, maius, quam quod ferre possimus, miserum, periculosum, tale quod fieri non modo possit, sed quod fieri etiam probabile sit.

§. 64. Ad quae consilia ut perducatur orator auditores, *sermone* utitur: non enim nisi animi persuasione, datisque consiliis homines ad agendum mouentur; ea autem sunt facultatis cogitandi: neque uero animus humanus ipse clare, distincteque cogitat, nisi uerborum ope rei cogitatae quaedam quasi figuram, corpusque circumdederit, quod intueatur, amplectaturque, neque aliter, nisi uerborum, seu scriptorum, seu pronunciatorum ope, cogitata cum aliis communicare, aut in iis excitare possumus. Utitur uero orator sermone continuo, i. e. qui una serie, nullo colloquio interruptus, eo, quo orator

propofuerit, ordine, et modo, de quibus agere libeat, exponat: in quo est orationis a fermocinatione difcrimen.

§. 65. *Perspicius* est fermo, quum eo intelligi facile oratoris mens potest: vult enim orator cogitata, et confilia fua cum auditoribus communicare, quod, nifi intelligatur oratoris fermo, fieri non potest; neque etiam, nifi facile intelligatur, h. e. ita, vt non fit diuturna, et molefta meditatione eruendum, quae verbis fubfit fententia, quod vix in libris est ferendum, in quibus legendis plus ad meditandum otii est, nullo modo in oratione, quae propter dicentis feftinationem aut ftatim, aut numquam intelligitur.

§. 66. Faciunt ad hanc perfpicuitatem haec duo: primum, vt iufto ordine procedat oratio, dein, vt planis clarisque verbis vtatur. *Iuftus ordo* est, quem in cogitando feruare animus humanus bene ex cultus folet, et aptus ille naturae rei. Diftinguere feilicet animus humanus rerum inter fe notiones folet, et in genera fua, formasque feparare, atque ascendere ab effectibus ad cauffas, a confequentibus ad principia, aut ab his ad illa descendere, ac miferi feparanda, diuidi iungenda vetat, nec cauffas cum effectibus, antecedentia cum confequentibus confundi, facile patitur. Illa igitur naturali diuifione in partitione, illo naturali rerum, idearumque nexu in expositione neglectis, turbata auditoris mens, quo minus facile, et bene intelligat, impeditur. *Verba* funt plana, et clara, fi rem omnem, nec plus, nec minus eloquuntur, fi aut funt huius notionis propria, aut certe ea de re confueta, quibus auditor ipfe eo fenfu vtatur, aut quae faltem audierit, legeritue, aut quae, quid fignificent, poffit facile inuenire.

§. 67. *Copia*, quae fpeclanda est oratori, cernitur et in rebus, et in verbis. *Rerum copia* inest in eo, vt fat materiae addit, vt rei tra-

clandae tot exponantur partes, quot ad claram, distinctam, necessariamque eius notionem formandam sufficiant, ut potissimum caput rei illustretur, amplificeturque, ut argumentorum, exemplorum adsit varietas, et numerus, rei his auditoribus probandae sufficiens. *In verbis*, ut tot sint, ac talia, quot, et qualia ad bene, facileque intelligendam oratoris mentem requirantur, ut sit apta eorum commutatio, et frequentatio. Et necessaria quidem est rerum copia, ut, quam fieri possit, plurima consilii sui consequendi praesidia habeat orator, ut, quum omnia ita fiant planiora, pluribusque fulciantur argumentis, eo facilius persuadeat, et moueat: verborum copia, ut placeat: displicet enim in dicendo penuria verborum, ac parsimonia, et crebra eorundem vocabulorum iteratio, placet in vnaguaque re varietas, et abundantia, et, quod placet, lubentius auditur, recipiturque promptius.

§. 68. *Ornatus* denique oratorii sermonis inest et in copia, de qua diximus, et in vi oratoria, tropis, figuris, omnique compositione, structura, et numero. *Vim inesse* oratoriam tum reperietur, quum, in quo caput rei inest, id satis notatum verbis quoque fuerit, quum, quae ad persuadendum, mouendumque imprimis faciant, satis fortiter fuerint enunciata, animi motus, ubi fieri poterit, excitati, nutritique, atque orationis sit impetus quidam, qui non committat, ut iusto diutius in rebus commorando extinguantur animi commotiones, sed satis celeriter ab alio ad aliud progrediatur, et, quot fieri poterit modis, moueat.

§. 69. *Tropum* cum Quintiliano VIII, 6. dicimus verbi a propria significatione in alienam cum virtute mutationem; *figuram* orationis vulgaris, ac simplicis cum virtute immutationem. *Compositio* est singulorum verborum, *structura* membrorum, *numerus* totius orationis. Quae omnia in rhetorica vniuersa copiosius tractantur.

§. 70. Est autem magna huius ornatus oratorii utilitas, atque adeo necessitas. Vis enim oratoria, praeterea quod per se iam mouendis auditoribus est apta, indicat, oratorem ipsum persuasum sibi habere, ipsum commoueri, materiaque abripi, cuius exempli magna vis est ad persuadendum auditoribus, eosque mouendos, qui, si dubitantes, immotumque putauerint oratorem ipsum, vix, quae ille commendat, amplectentur. Tropi, ac figurae multum faciunt ad rem illustrandam, suauiore reddendam, sensus demulcendos, affectus excitandos: lubenter enim imaginatio in rerum similitudinibus, imaginibusque occupatur, et, ut quisque est commotissimus, ita plurimis vititur tropis, atque figuris. Orationis compositio, et structura hunc habent finem, ut mens, sensusque oratoris facilius cognoscantur, communicenturque cum auditoribus. Numerus ad delectandum, placendumque facit.

...

—————

...

Wittenberg, Diss., Ergbd. 8, 1797-1801



vd18







234

1928 K 944

18/9

DE
DICENDI GENERE VERE POPVLARI QVO
ORATOREM CVI SIMVL DOCENDI CONSL-
LIVM SIT OPORTEAT VTI
COMMENTATIO PRIMA

QVAM
PRAESIDE
IOANNE CHRISTIANO
HENRICI

PHILOS. DOCT. LIB. ART. M. ATQVE ELOQVENTIAE P. P. O.

COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO

A. D. V. SEPTBR. cIoIoCCLXXXVIII.

H. L. Q. CC.

DEFENDET

AUCTOR
AVGVSTVS BASILIVS MANITIVS
MERSEBVRGENSIS
PHILOS. DOCT. ET LL. AA. M.

WITTENBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII

1798